

**Disquisitionum medicarum, De febribus, prima : quam, divino assistente numine, sub præsidio clarissimi, doctissimique viri, D. Francisci Deleboe, Sylvii, ... / exercitii gratiâ tutabitur Ludovicus Goclenius, Cassellano-Hassus.**

### **Contributors**

Goclenius, Ludovicus.  
Le Boë, Frans de, 1614-1672.

### **Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Johannem Elsevirium, Academ. typograph,  
MDCLXI. [1661]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p667xwtc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISQUISITIONUM MEDICARUM,

D E

# F E B R I B U S,

P R I M A.

QVAM,

Divino assistente Numine,

Sub PRÆSIDIO

*Clarissimi, Doctissimique Viri,*

D. FRANCISCI DELEBOE, SYLVII,


Medicinæ Practicæ in Inclytâ Lugduno-Batavâ

Academiâ Professoris,

*Exercitii gratiâ tutabitur*

LUDOVICUS GOCLENIUS, Cassellano-Hassus.

*Ad diem 9. Iulii, loco horisque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,

Academ. Typograph.

clo lcc lxi.



V I R O

Excellētissimo, Experientissimo  
D. THEODORO CHRI-  
STOPHORO GOCLENIO,  
Med. Doct. Archiatro Hassia-  
co primario ac Seniori,

Parenti suo filiali amore nunquam non  
prosequendo,

*Hanc Disputationem Medicam in debiti amo-  
ris ac obedientiae signum, consecrat.*

LUDOVICUS GOCLENIUS.

*Respond.*


# DISQUISITIONUM MEDICARUM,

D E

## F E B R I B U S,

P R I M A.

### T H E S I S I.



ostquam non desunt, qui Authorem aliquem Antiquum aut Neotericum pro Dictatore venditant in Scientiâ Physicâ & Arte Medicâ condendâ; quin, ut tacitè Dictaturam illam in se derivent, Tyronibus, cæterisque Disciplinarum rudibus Laudatum Authorem à Se solis plenè intelligi atque explicari posse Auditoribus suis inculcant, & incautis persuadere conantur: Ne Juventuti rerum adhuc imperitæ fucus fiat, sciendum, *Per solam Experientiam omnibus patentem comparatum, determinatumque omni ævo, quicquid hactenus boni, certique habemus in Medicinâ,* (quod de Naturalium rerum Scientiâ itidem probare, si hîc locus esset, non foret difficile:) Neutram proinde ab ullius quantivis etiam Hominis arbitrio pendere concludimus, ac idcîrcò, Nihil æquè ridiculum, iimò Disciplinarum Cultoribus noxiū excogitari posse statuimus, quām si ab ullius Prisci aut Recentioris Scriptoris Dictaturâ & Placitis Artem Medicam deducendam quis asseveret, atque sic ab ulteriori Veritatis in multis adhuc dum latitantis investigatione pusillanimos deterreat, vel malitiosè abstrahat.

### I I.

Spretis proinde affectatæ in Medicinâ Dictaturæ monstris, non dubitabimus per Experientiam, Veterum in primâ utilissimâ Mortalibus Artis constitutione Magistram, progredi in Affectûs, præ cæteris omnibus Hominî & familiaris, & molestissimi, & ob multifarium gravium Authorum de Ipsius Naturâ, Causis veris & Curatione dissensum admodum intricati, Febris puta, enucleatione.

### III.

Sed nec verebimur nostram de *Febris* sententiam, utpote ex ipsâ praxi petitam, licet à tritis, creditisque passim Opinionibus in multis discrepantem, atque imprimis à quorundam Theoreticorum Doctorum Decretis plurimum recendentem, publico omnium subjicere examini, atque inimica æquè ac amica de Ipsâ experiri quorumvis Iudicia.

### IV.

Subsecutoræ autem de Febrium Essentiâ Disquisitioni præmittemus, & fundamenti loco habebimus id, in quo, si non omnes, plerique saltem convenient Medici, non tam nomine tenus, quām reverā & opere ipso Practici.

### V.

Quærenti namque, Quodnam sit *Pathognomonicum*, adeoque *Febris Omni, Soli, ac Semper conveniens*, atque à Medicis apud Ægros observari solitum signum, idque aut simplex, aut complexum? Respondebunt in Ægrotorum examine accurato exercitati, ac proinde non tamen ex libris suis, quām ex praxi suâ loquentes Medici ad unum omnes, signum illud esse *Pulsus præter naturam Frequentiorem*; quippe quo præsente adesse, absente autem Febrem abesse pronuntiant cuncti.

### VI.

*Pulsus* dico *præter naturam frequentiorem*, cùm insuper observetur & *Naturalis* & *Non-naturalis Pulsus Frequentior*.

### VII.

*Naturalem* voco *Pulsus Frequentiorem*, qualem à *Naturâ*, hoc est, à *naturali* & *peculiaris corporis sui constitutione*, si cum aliis conferantur, habent aliqui, etiam *Sani*.

### VIII.

Per *Non-naturalem Pulsus Frequentiorem* intelligo istum, qui propter aliquod in rebus non-naturalibus dictis patratum erratum à *naturali* desciscit, atque ipso frequentior ad tempus existit, absque tamen ullâ notabili tunc simul apparente in corpore molestiâ, functionisve lâsione. Sic ad *Aëris æstum auctum*, *Corporis motum vehementiorem*, *Iram*, *Vigilias protractas*, quò & nimiam *Meditationem* refero, *Vini generosi potum largiorem &c.* Non raro *Pulsus excitatur solito frequentior*: Qui, quoties sublatis, sedatisve *Causis* enumeratis ad pristinum reddit statum & raritatem confue-

consuetam, nec aliam corpori affert aut post se relinquit noxiam,  
non incommode *Non-naturalis* nomine videtur indigari.

### I X.

*Pulsus* verò *præter naturam frequentior* mihi censetur, qui ab errore quidem externo in memoratarum rerum non naturalium abusu commisso semper forsan ortus conjunctam vel mox subsequenter habet notabilem Corporis molestiam, doloremve, atque adeò Functionis alicujus ad Vitæ Naturalis beatitudinem requisitæ labefactionem.

### X.

Præter quem *Pulsum* præter naturam frequentiorem, cùm aliud signum hactenus observatum sit & manifestatum nullum, quod Febris Omni, Soli, ac Semper competit & adsit, concludimus meritò id solum & unicum habendum pro Signo Febris Pathognomonicō.

### X I.

Enimverò, quamvis plerisque Febris comes sit *Vniversi Corporis Calor auctus* (in quo à Corde quaquaversum cum Sanguine propulso Febris Essentialia plerosque querere aut ponere non ignoramus;) quonia[m] tamen is nec Omni, nec Soli, nec Semper competit Febris; eundem pro inseparabili & Pathognomico Ipsius Signo neutiquam putamus habendum.

### X II.

Nam 1°. *Non Soli Febrī* competit *Calor in Vniverso Corpore auctus*, cùm non raro in Maniacis, aliisque nullo modo Febrientibus deprehendatur *Calor* naturali auctior.

### X III.

Sed nec 2°. *Omni Febr conjugitur Calor auctus*; cùm nonnunquam occurant & Suo, & Adstantium, & Ipsorum Medicorum calculo Febricitantes, quales hic etiam in Nosocomio publico habuimus & examinandos stitimus Medicinæ Studiosis, in quibus nunquam, ne quidem per aliquot septimanas, imò menses observatus est in ullâ corporis parte, nedum universo corpore auctus calor vel ab Ipsiis Ægris, vel à Nobis, aliisque Medicis, vel à cæteris Adstantibus; sed contrà Frigus perseverans, Ægrisque valde moleustum, & Adstantibus omni tempore manifestum.

### X IV.

Nec obstat, quòd aliquis ex *præjudicio* contra proprium (si quo-

vigebat) aliorumque, ac imprimis *Ægrotantium* sensum absurdè urserit, nec tamen probare potuerit, Calorem fuisse nihilominus in *Ægrotorum*, utpote *Febricitantium*, Corde tunc auctum; quod ipsum confutavit Experientia; pejus enim habuerunt semper *Ægri* ab assumptis medicamentis *Refrigerantibus*, melius verò à *Calefacientibus*, tum *Spirituosis*, tum *Oleosis aromaticis*.

### X V.

*Quin nec 3. Febribus Semper comes adest Calor;* cùm circa Intermittentium initia plerumque affligat *Ægros Frigus*, idque non raro ad horas plures durans, & tam grave, ut in ipso solo Vulgus totam Febrim constituat Intermittentem, à dicto frigore in Germaniâ denominataim, nec plerumque subsequentem valde curet Calorem, utpote non semper æquè ac Frigus molestum, aut tandem permanentem; idque contra erroneam quorundam Opinionem, qui ex præjudicio suo fingunt, & credulis inculcant, non tantum aliquando, verùm semper quadruplo diutiùs infestari Febientes à Calore, quam à Frigore. Falsi tamen Ipsos arguit Experientia quotidiana, uti sæpenumerò ad fucum omnem tollendum & Juventutem à falsis præjudiciis liberandam, vel adversus ipsa munendum ex ingenuâ & simplici *Ægrorum* narratione & propriâ singularum Medicinæ Tyronum, quibus libebat, observatione contrarium evicimus in Nosocomio Academicō.

### X VI.

Postquam igitur ex superadictis Unicuique Sensibus suis extensis sanè utenti constare potest, non Calorem in Corporis partibus interioribus, exterioribusve auctiorem observatum, sed Pulsus præternaturam Frequentiorem, signum esse Febris omnis Pathognomonicum & Demonstrativum; quò vera Februum omnium Essentia, hinc & Differentiæ, facilius eliciantur & manifestentur, in prædicti Pulsūs Causas veras sedulò inquirendum nemo non videt. Ut autem exactiùs, pressiùs, distinctiùsque nostra procedat investigatio, Pulsūs naturalis partes, earundemque Causas adæquatas priùs venabimur.

### X VII.

Enimverò per Pulsū intelligimus geminum *Cordis Ventriculorum* & *Arteriarum Motum*, *Dilatatione* sive *Expansione*, ac reciprocā *Contractione* sive *Constrictione* constantem: De quo cùm apud omnes con-

venire

venire puteam, non est, quod in illo probando, explicandove ali-  
quid temporis teramus.

### XVIII.

Occurrit tamen mox in limine Difficultas & Controversia no-  
bilis, eaque non contemnenda, postquam duo præclara hujus ævi  
*Lumina, Guilielnum Harvejum Anglum, ac Renatum Cartesium Gallum*  
exercuit; nec prætereunda, quin potius solvenda, diluendaque,  
postquam ad Verarum Cujusvis Pulsus Causarum inventionem,  
ac Medicinam ex arte faciendam lucem est allatura insigneim.

### XIX.

Docuit autem *Harvejus*, Medicorum, utpote sensilium Philosó-  
phorum, sequutus morem ac Sensuum externorum testimonium,  
*Arterias Dilatari, quando Cordis contrahuntur Ventriculi*; & vice versâ,  
*Contrahi easdem Arterias, quando Dilatantur Cordis Ventriculi*.

### XX.

*Cartesius* verò, Mechanicæ suæ legibus, quām Sensibus suis ex-  
ternis magis fidens, suspicatus est & opinatus, *Dilatari simul, &*  
*Contrahi simul Cordis Ventriculos & Arterias*.

### XXI.

Ego, qui in rebus sensilibus, ac proinde Sensu externo dūntaxat  
dignoscendis, dijudicandisque minimè puto Sensibus diffidendum,  
verùm (quod ad Experientiam ritè faciendam semper requiritur)  
post adhibitam omnem cautelam necessariam Ipsiſ omnino censeo  
fidendum; quoniam institutâ ad Veritatem hanc nudam cognoscendam, ipsamq; ab omni fuco vindicandam, in brutorum vivorum  
sectionibus observatione multiplici perpetuò Veracem compéri  
*Harvejum*, etiam nunc in Ipsiſ persto Sententiâ.

### XXII.

Binos autem fideles, ac omni exceptione maiores hujus Veri-  
tatis profero Testes, *Visum & Tactum*.

### XXIII.

*Visus* namque constanti testimonio constat 1°. Dilatari, pulsare  
que Arterias, quoties Contrahuntur & Coarctantur Cordis Ven-  
triculi. 2°. Effundi è Cordis Ventriculis Sanguinem in eorundem  
Contractione.

### XXIV.

Cùm autem ab effuso è Cordis Ventriculis in Arterias Sanguine  
ne Ipsiſ Dilatari nobiscum sentiat *Cartesius*, nolens volens acce-  
fisset

sisset nobis, si debitam suis Sensibus tribuisset fidem, si suum dunt taxat suæ indulisset Mechanicæ: quæ præterea, si rectè consideretur, stare potest ac constare cum nostrâ Sententiâ, uti ex sequentibus patebit.

### XXV.

Tactus autem testimonio liquet in Cordis Ventriculos circa mucronem disjectos immissum digitum sensibiliter comprimi, sanguinem simul effundi, quoties Contrahuntur prædicti Ventriculi; concurrente tunc simul Arteriarum Dilatatione per admotam Ipsis manum itidem Tactu dignoscibili.

### XXVI.

Sensuum ergo binorum, Visus & Tactus amplissimo testimonio, quemadmodum Mihi, Aliisque quam plurimis, sic & Cuivis Veritatem unicè sectanti & à præjudiciis libero experimentum simile facturo liquidò poterit constare, Dilatari Arterias, quando, imò uti mox ostendetur, quoniam Contrahuntur Cordis Ventriculi; quod erat probandum.

### XXVII.

Quid obstat autem, quo minus hâc occasione datâ Omnes Medicinæ studiosos fideliter ac seriò de aureâ, & maximi in Arte Medicâ, quin & Physicâ Scientiâ momenti, ac semper & ubique observandâ Regulâ informemus, Nihil scilicet in Medicinâ vel Naturalium rerum Cognitione admittendum pro Vero, nisi quod Verum esse ostenderit aut confirmarit per Sensus externos Experientia?

### XXVIII.

Quicquid enim Ingenium etiam subtilissimum & sagacissimum excogitare potest humanæ Menti maximè probabile atque plausibile, id omne, Artem Medicam si spectet, tantisper Falsi suspectum esse Prudentibus debet, donec id ipsum Verum esse, hoc est, tale, quale fingitur, in rebus ipsis actu observari manifestarit Veritatis Magistra Experientia.

### XXIX.

Absit autem, ut inter legitimos Medicorum Filios aliquis reperiatur tam socors, cui (repugnante licet cum Ægrotorum nonnunquam damno Experientiâ) suis, alienisve adhærere lubeat figuramentis ac Chimæris, quoniam malè sanæ placuerunt Menti, aliquando & sæpenumerò serò cum Medeâ exclamaturæ,

— Video meliora, proboque;  
Deteriora sequor.

### XXX.

Sed ad rem. Sublatâ difficultate superiori, proximum est, ut memoratorum Motuum quatuor ad Pulsus integratatem concurrentium Causæ veræ ostendantur & adstruantur. Ut autem à Cordis Ventriculorum Dilatatione, sive expansione faciamus initium, non possumus Veterum ac Recentiorum plerorunque silentio præterire Opinionem, quâ Cordi Facultas quædam tribuitur, quæ ventriculos ejus dilatet, quò impleantur.

### XXXI.

Verùm enim verò, cùm ab Iisdem nullâ demonstrentur Instrumenta, quorum ope, nullus explicetur Modus, quo velint perfici hanc Ventriculorum Cordis à Facultate Pulsificâ Dilatationem; factum est, ut Viri ad libertatem nati & uni Veritati addicti in dubium vocarint hanc decantatam plurimorum Facultatem, censuerintque licere sibi negare impunè, quod gratis esset affirmatum à tam multis, probatum verò hactenus à nemine.

### XXXII.

Quinimò Experientiam in auxilium hîc advocantes nonnulli, ut latentem adhuc manifestarent Veritatem, omnia, quæ circa Cordis Ventriculorum Dilatationem contingunt, accuratiùs & distinctiùs observarunt, eademque solo Sensuum externorum testimonio uti dignoverunt & compererunt, sic ab aliis quoque di-gnoscenda & determinanda existimarunt.

### XXXIII.

Horum Ego etiam vestigia premens, observavi 1º. Contrahi & coarctari adnatas utriusque Cordis Ventriculo Auriculas priusquam Dilatentur, expandanturque Ipsi Cordis Ventriculi. 2º. Propelli Auricularum dictâ Contractione Sanguinem in Cordis Ventriculos. 3º. Sanguinem in Cordis Ventriculos propulsum mox ibidem magis, magisque Incalescere atque Rarefieri.

### XXXIV.

Unde partim à Sanguinis in Ventriculos propulsâ copiâ, partim ab ejusdem incensi & rarefacti tumore distendi, expandi & dilatari Cordis Ventriculos concludimus.

### XXXV.

Conclusionem hanc nostram tritâ & passim obviâ confirmamus

Experiētiā, quā cuīvis potest constare Liquores quoſvis, visci-  
diores imprimis, quoties ad Ignem incaleſcunt, toties ſimul tur-  
gere, atque rarefactos ampliorem, quām priūs, locum, quo conti-  
neantur, requirere, ac idcircō continuato fervore tandem quā datā  
portā ruere atque erumpere, ſibique non raro viam vi parare.

### X X X VI.

Similem Sanguini mutationem in Cordis Ventriculis obvenire  
poſſe nemo dubitabit, cui per Experiētiam perspicua eſt Sangui-  
nis ſponte grumefcentis viſciditas & inflammabilitas; cui per ſen-  
ſum cognitus eſt connatus Cordi Ignis.

### X X X VII.

Quinimō ſimilem Sanguini mutationem in Cordis Ventriculis  
actu obvenire nemo dubitabit, cui per Laudatam Experiētiam  
innotuit Sanguinem in memoratis Ventriculis fieri fervidiorem,  
floridiorem, rapidiorem; qualem aperta promit Arteria, minūs  
Vena.

### X X X VIII.

Hujus autem Veritatis multiplicis Testes produco *Vifum & Ca-*  
*loris ſenſum*; à quibus haurit & mutuatur Mens, quicquid de hac re  
ſolidè cupid deductum.

### X X X IX.

Intenso namque in Cordis Ventriculos dīgo, quām in ullā aliā  
Corporis parte major ſentitur ibi Calor, individua & propria Ignis  
Qualitas, eaque Sensu ſempre manifesta, quando Ignis existit li-  
ber & in ſuum agens pabulum; quo compedibus ligato nullus quo-  
que appetet Sensu Calor: quod, experimentum, præter ſimilia  
plura, Illos vellem obſervare, qui in rerum Naturalium Causas in-  
quirunt ſolicité.

### X L.

A Sanguine ergo in Cordis Ventriculos ex annexis Auriculis proten-  
ſo, ibidemque à Cordis Igne Innato (ſed mediante Effervescentiā  
perpetuatā conservato;) à Sanguine, inquam, ibi accenſo & rarefacto,  
utpote Cauſis & præſentibus, & effectui desiderato producendo  
ſufficientibus deducendam puto Ventriculorum Cordis Expansionem &  
Dilatationem: quod erat probandum.

### X L I.

Non minūs in Cordis Ventriculorum Contractionis & Coarctationis,  
quām in eorundem Dilatationis Cauſis veris, certisque assignandis  
labo-

**laborarunt Authores Ingeniosi.** Nam, ut alios nunc omittam,  
**Mathematicus insignis & Philosophus industrius**, jamque aliquoties ci-  
tatus **Renatus Cartesius**, Mechanicæ suæ legibus intentus **Sanguinis**  
in Cordis Ventriculis magis, magisque rarefacti, ac sponte in Ar-  
terias exitum quærentis **Eruptionem**, **Causam esse Ipsorum Collapsus**  
**censuit.**

### XLII.

**Cui quamvis haud invitus concesserim**, quod verum esse supe-  
riùs docui per Experientiam, Sanguinem continuatâ sui rarefa-  
ctione, quando ampliùs distendi nequeunt Cordis Ventriculorum  
parietes, tandem sponte erupturum in Arterias; non putem tamen  
hominem præjudiciis vacuum & ad omnia, quæ circa Cordis Ven-  
triculorum Coarctationem occurruunt observanda, attendentem,  
facile in hâc unâ acquieturum **Causâ**, quin potiùs aliam insuper, ac  
quidem validiorem agniturum & admissurum.

### XLIII.

**Non sufficere namque, non tantum ad tantam, quantam sensi-**  
bus observare quivis potest, sed vel ad minimam Ventriculorum  
**Cordis Coarctationem** Sanguinis sensim ampliùs rarescentis  
Eruptionem vel inde patet, quòd illa duntaxat Sanguinis pars  
erumpat, quæ Ventriculorum ad summum expansorum cavitate  
ampliùs nequit contineri: reliquum autem, si nihil adsit, quod  
ipsum expellat, cùm ipsi continendo sufficiens sit spatum, nulla  
causa est, cur simul erumpat, ut nec proinde, cur concidant, colla-  
bantur & coarctentur Cordis Ventriculi.

### XLIV.

In totum autem evertere videtur illum **Cordis Ventriculorum**  
**Collapsum** spontaneum **Sanguis**, non blandè erumpens, ast in  
Arterias vi effusus & protrusus: atque imprimis potens Parenchy-  
matis **Cordis** è corpore vivo exfecti **Contractio** aliquandiu per-  
manens, nullo tunc **Sanguine**, qui erumpat, præsente.

### XLV.

**Quapropter ut vera Coarctationis Cordis Ventriculorum**  
**Causa** innotescat, velim Omnes Veritatis Sectatores, seposito  
tantisper omni præjudicio, sequentia unicuique per Experien-  
tiam observabilia sedulò perpendere; & 1°. quidem **Cordis Pa-**  
**renchyma Musculosum**, & in plures Musculos coctione diutinâ  
resolvendum. 2°. Idem **Cordis Parenchyma** in ventriculorum

Coarctatione non laxius, quod in Collapsu fieri deberet, ait firmius & durius, qualis Musculorum contractorum apparel substantia. 3°. Mucronis in Ventriculorum Coarctatione versus Basin accessum; cuius contrarium in Collapsu deberet contingere. 4°. Disiecto circa mucronem Corde, Digi in Ventriculum intrusi in Ventriculorum Coarctatione notabilem Compressionem. 5°. Sanguinis ex praedicto vulnere in Ventriculorum Coarctatione, non blandam, sed fortē Expressionem & Effusionem. 6°. Cordis & Arteriarum Pulsus, non tantum ad omnes, etiam leviores, Animali Affectus alteratum, sed & pro Voluntatis imperio mutabilem. 7°. denique Vehementem Cordis in sui Palpitatione Quassationem, non tantum Visu & Tactu, verum Auditu quoque in remotione licet loco observabilem, & Costas subinde perfringentem.

#### X L V I.

Hæc & similia in Cordis Ventriculorum Coarctatione observabilia si quis Mente sanâ expenderit, non putem Ipsum tantos, tamque mirabiles motus à solâ Sanguinis rarescentis Eruptione amplius deducturum, quin potius illos proprio in Cordis parenchymate constituendo Motui, eique *Animali* mecum attributurum; à quo omnium allegatarum Mutationum ratio facile poterit deduci, atque explicari.

#### X L V I I.

Mihi ergò Coarctatio Ventriculorum Cordis à Contractione Parenchymatis. *Ipsius animali ortum ducere videtur*, modo planè eodem, quo & cæteri moventur totius Corporis Musculi; nisi quod in Cordis motu, ob continuam à rarefacto & Cordis parietes explicante Sanguine factam irritationem, continua itidem sive alternans & reciproca instituitur ejusdem Contractio: quod similiter in aliis quoque Musculis contingere quotidiana docet Experientia, nī à Voluntate firmiore subinde contra irritationes externas opponatur motus contrarius: quod non æquè facile fieri potest, ubi Causa interna existit gravis.

#### X L V I I I.

Adde quod reverà Musculi omnes continuò ad sui vergant Contractiōem; nec illa, nisi ab opposito, id est, partem in contrarium situm movente & itidem perpetuò Contracto impediantur Musculo. Sic Musculi brachium flectentes continuò moventur à Spiritibus Animalibus & Contrahuntur, ipsorumque Contractiōem.

ctionem sequitur Brachii Flexio; nī à Musculis oppositis poten-  
tiūs agentibus extendatur idem Brachium, aut ab utrisque æqua-  
liter agentibus servetur ipsum in æquilibrio & quodam rigore:  
quo simul impeditur flectentium Musculorum operatio & plena  
Contractio.

### XLIX..

Hoc effatum meum si cui videatur paradoxon, aut minus vero  
simile, jubebo Ipsum Experientiam consulere, atque ad partis ali-  
cujus, Oris puta, ex oppositi Musculi paralysi ortam Torturam  
attendere. Fit enim illa ob Musculi sani naturalem & continuam  
Contractionem; quæ cùm ab opposito Musculo paralytico non  
impediatur, nec cohibeatur, videtur Convelli Musculus sanus.

### L.

Pari ratione Cordis Musculi oppositis destituti continuò mane-  
rent Contracti, nī à Sanguine in Ipsius Ventriculos propulso, & ibi-  
dem ab interno Igne rarefacto expanderetur Ipsius parenchyma:  
quæ Ventriculorum expansio postquam eousque progressa est, ut  
incommoda sit Sentientibus Cordis partibus, excitatur Facultas  
ejusdem Animalis, quæ Spirituum Animalium ope insurgit, & Mus-  
culo sum Cordis parenchyma Contrahit: hoc dum fit, Coarctatur  
sīnūl Ventriculorum Ipsius Cavitas, & in Arterias expellitur con-  
tentus, rarefactusque in Ipsi s Sanguis; quod erat probandum.

### L I.

Atque hanc putamus Veram Contractionis Cordis, Coarcta-  
tionisque Ipsius Ventriculorum Causam, Mechanicæ legibus con-  
venientissimam.

### L II.

Quemadmodum autem Cordis Ventriculorum Expansionem  
à Sanguine ex Auriculis in Ipsos delato, hinc ab Interno Cordis  
Igne magis, magisque rarefacto deduximus; sic Arteriarum Dilata-  
tionem Sanguini eidem in continuatâ sui rarefactione sponte Erupturo; ob-  
excitatam verò ab Ipso validam Cordis Contractionem, Ventriculorumque  
Ipsi Contractionem in Arterias vi Propulso adscribimus.

### L III.

Frustrà namque censent aliqui Impleri sanguine Arterias, quia Di-  
latantur; postquam desunt perficiendæ illi Dilatationi necessaria  
Instrumenta.

Dilatantur verò reverà Arteriæ, quia Implantur; adsunt enim præstò jam enumerata ad Impletionem illam absolvendam requisita omnia; uti hæc manifesta fient unicuique in Brutorum viventium sectionibus Experientiam sedulò consulenti.

## L V.

In Arteriarum Sanguine turgentium Contractionis Causis veris adinveniendis, confirmandisque major nos urget Difficultas: neque enim hîc fingere licet Sanguinem ex Arteriis, uti è Cordis Ventriculis, sponte erumpente illarum Coarctationi ansam præbere: Sed nec Arteriis Animalem Motum, qualem Cordi adscripsimus, cùm musculosa non sit Earum substantia, tribuere licet.

## L VI.

Naturalem tamen Motum, per Fibras Ipsarum transversas & annulares perficiendum, Arteriis concedere nil vetat: Naturalem, inquam, qualem in Intestinis Motu peristaltico manifestè ob grandius Ipsorum corpus constrictis observamus.

## L VII.

Utrumque autem hunc Intestinorum & Arteriarum, & aliàs omnem in Vasorum Constrictione fieri solitum Naturalem Motum, non minùs, quàm Animalem, à Spiritibus Animalibus Fibras Ipsorum repletibus deducendum suspicor & tantum non opinor.

## L VIII.

Implantantur autem passim in Arterias Nervi, desideratos illos spiritus ad ipsas deferentes; uti unumquemque id docere poterit Autopsia Anatomica.

F I N I S.

# COROLLAIR A.

## I.

Quicquid Medico Ægros ritè curaturo agenda monstrat & indicat, id omne usitato Indicantis nomine venit apud rerum & operum, quam verborum & captiuncularum magis accuratos observatores Practicos; quorum ore teritur solemne, utile ac verissimum Præceptum, A juvantibus & Nocentibus sumi potissimam in faciendâ Medicinâ Indicationem; quam dum insulsè rident, aut imprudenter negligunt quidam scioli, destruunt non raro Ægros, ad quos sanandos erant vocati.

## II.

Quisquis pro Venenis habet, atque diffamat Purgantia Medicamenta, is quid Venenum, quid Purgans sit, planè ignorat.

## III.

Ex qualibet Plantâ, Vite puta; quin ex solo ejus Fructu, Uvâ recenti, vel passâ; aut expresso è fructu Liquore, Musto; aut secretâ per Fermentationem puriore ejus parte, Vino; aut subsidentibus duntaxat ejusdem Vini Fæcibus; aut accrescente

tantum Vasorum parietibus Recremento salino, Tar-  
tari nomine vulgo noto; Arte possunt, & unius  
quidem Ignis ope omnis generis parari Medicamen-  
ta, & alia: quippe

Ex Omnibus Omnia.

